Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2083
Quelle:
Copyright:

nem Aret. usurpata. Ante Canonem comparet deaurata in area Servator cruci adfixus adstante Matre et Discipulo. Prosa in die *Michaelis* Archangeli ita sonat:

Ad celebres rex celi celice laudes cuncta
Pangat canora katerua symphonia.
Odas atque soluat contio tibi nostra.
Cum iam renouantur michaelis inclita ualde festa-
Per quem letabunda perornatur machina mundi tota.
Nouies distincta pneumatum sunt per te facta. (agmina)
Sed cum uis facis hec flammea per angelicas officinas.
Inter primeua sunt hec nam creata tua cum simus nos ultima
factura sed ymago tua.
Theoloyca kathegorizant symbola nobis hec ter tripartita
per priuata officia.
Plebs angelica phalanx et archangelica principans turma virtus
uranica ac potestas almiforma. (phona)
Dominantia numina diuinaque subsellia cherubim etherea
ac seraphim ignicoma.
Vos o michahel celi satrapa Gabrielque dans uera uerbi nuncia
Atque Raphael uite uernula transferte nos inter paradysicolas. &c.

Reliqua videsis T. I. *Thes. Anecd. Pezii.* p. 333. inter *Sequentias Notkeri Balbuli*, cui tumida haec *Pseudodionysii Areop.* imitatio tributur. Eam selegi, quod *Michael* Ecclesiae Coenobii *Lunaelacensis* Patronus esset. Ita enim ad calcem Codicis:

Hartwico de Talmaizign.
Scriptori requiem lector deposce perhennem.
Sancto michahéli In Mænse
Non uideat christum librum qui subtrahat istum.

DCCCXLVIII.

R. 1087 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 243. 4. pereleganter scriptus est *Magister Caeremoniarum sacris ritibus in suo munere instructus, Sive Repertorium Caeremoniale Alphabeticum* &c. *Laur. Vigilii de Nicollis, Nob. Tridentini, SS. Theol. et I. V. D. Canonici ad Nives, et Consistorialis Salisburgi.* MDCCXXX. Dicatur utilis hic labor *Carolo* VI. Imp. qui Autorem *perorantem ex Ambone Caesareo in PP. Augustinianorum Basilica bis coram audire dignatus* est, *Salisburgo die 1. Octob.* 1730. Praeeunt *Decreta praeliminaria Sac. Congr. Rituum, Materiam Caeremonialem concernentia* ab a. 1593. ad a. 1706. Ad quorum finem: *Alia similia De-*